



2b. 15



22.
23

RECTOR
ACADEMIÆ VIADRINÆ
CYRIACUS

HERDESIANUS,

J. U. D. & Prof. P.

ad exequias funeris,

QUAS

*elegantulo & præclaræ spei
puerulo*

JANULO - SEBASTIANO

VIII. Kl. Quintileis nato

XII. Kal. Octobres denato,

Vir Præstantiss. & Doctiss.

D N.

SEBASTIANUS

GERSTMANNUS,

Academ. Notarius sollertiss.

adparat,

Omnes & singulos literaria Reip. cives

humaniter invitat.

M. DC. XXII.

Literis

HARTMANNIANIS.

Ep. LXVI. f.

Synes. ep.
LVII. m.

Naturam ordinem nō servare, sed suo jure utentem, à quo vult, debitum suum citius exigere, præter oculos nostros transeuntia notorum ignotorumque testantur funera, & magnus adserit Seneca Philosophus. *Alter, inquit, adolescens decedit, alter senex, alius quis præter hos infans, cui nihil amplius contingit, quàm prospicere vitam. omnes hi aequè sunt mortales, etiamsi mors aliorum longius vitam patitur procedere, aliorum in medio flore præcidit, aliorum interrumpit principia.* Omnes enim omnino homines ad mortem maturi sunt, ex quo nascuntur, imò ante etiam quàm nascuntur: ut sapicule parens fateri necessum habeat cum Cyrenes Episcopo, denatum se oculis usurpasse natum, quem ab itione antegredi erat appetentissimus. Affluenti exemplorum numero testatam consignatamque antiquitatem arcessere, nec opus, nec operæ est. Omne momentum, imò omne temporis punctum pænè id quod diximus, loquitur. Hodierno die calculum hisce adjicit JANULUS-SEBASTIANUS, Doctiss. & præstantiss. Viri Dn. SEBASTIANI GERSTMANNI, Notarii Academiae sollertissimi, filiulus oculissimus. Nam proximis D. Johannis Baptistæ sollemnibus, die post solstitialem tertio decimo, hora IV. matutina natus: post illa in sacro & Iustrico illo lavacro renatus: nudius tertius post noctis meridiem, ubi ipsos quattuordecim dies emaciatus, somnum non oculis vidit suis, intra parentum, hæc delicias suas DEO patri emancipantium, suspiria, somniam cepit, in quo somnium non cernimus, & pubescente auctumno, quo legulus, qui adulto vere vitem sevit, nisi si DEO aliter visum, vindemiare satagit, velut herba solstitialis emarcuit die septimo post tempus æquidiale. Ingens parentibus vulnus inflictum, nulli dubitamus: cum risu eos adhuc nullo salutaverit, sed perpetuò in lacrimas ierit: ut,
nisi

nisi infantissimus fuisset, rectè illud Palladæ suum facere
quiverit:

li. I. Anthol.
c. XIII. ep. 10

Δακρυχέων γερόμλω, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω,
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὖρον ὄλον.

In lacrimis lucem vidi, lacrimisque relinquo,
In lacrimis vita est tota peracta mihi.

Verum ut tribulos, etsi adhærentes, dimovemus, ad uvas ul-
tro manus porrigimus: sic in hoc casu quæ sese offerunt no-
civa, depellent, quæ vero solantur, apprehendent, eisque se-
debit, quicquid visum fuerit divino Numini, idque facilius,
si perpenderit, vinctos nos solvi oportere omnino, cum ei
qui vinxit libitum est, & deponendam esse personam, qua
nos magni & egregii dramatis induit Poeta: sive ut loquitur
Procopius, ὡς δεθέντας λυθῆναι δεῖ πάντως ὁ πνίκα δόξει τῷ δήσαντι,
καὶ ἀποθέσθαι τὸ προσώπειον, ὅπως ἡμῖν ὁ τὸ μέγα λυθράματ' ὠφελεῖ.
Σεικε ποιητής. Placeat homini, quicquid DEO placuit, iterum ajebat
Seneca: nec unquam injuriam dicat, ex aequo cum potentiore divi-
dere, qui ubi blandissimam reliquit puellam, ad cujus con-
spectum nulla potest durare parentum tristitia, infantem
abstulit puellum, qui hodiè terræ condendus est, & quasi o-
perimento matris magnæ obducendus, ritu Christiano, non
gentili: qui infantum funera, tanquam minimum vixerint, ad fa-
ces & ad cereos ducebant, aut si nondum XL. dies complessent,
non cremabant, sed condebant: juxta illud tum Satirici:

epist.
XXXVIII. f

ep. LXXIV.
Consol. ad
Marc. c. 16.

Sen. de brev.
vit. c. ult.

Juven. sat.
XV. v. 139.

lib. VII. c. 16

de Serm. pri
sco n. 7.

terrâ clauditur infans,

Et minor igne rogi:

tum Plinii, Hominem, dicentis, priusquam edito dente, cremari,
mos gentium non est: quibus tum sepulcris vocabulum fuit
suggrundiariis, quæ nec jam busta dici poterant, quia ossa quæ
comburerentur, non erant, nec tanta ea cadaveris immani-
tas, qua locus tumesceret, ut Fulgentius annotavit: aut de-
nique

Consol. ad uxorem, p. 612.

Serm. XXXII. de Verb. Apost. p. 405.

ap. Dion. li. XXXVIII, p. 78.

ep. CXX. m.

neque pueris ejusmodi defunctis neque inferias dabant, neque alia sollemnia usurpabant, quæ in mortuis recepta; neque enim terræ aut terrestrium ullam partem percipiebant, neque circum eorum sepulcra & munimenta ac cadaverum expositionem commorabantur aut adsidebant, legibus id non permittentibus, si credimus Plutarcho. Cum v. pompa funeris, agmina exequiarum, vivorum sint qualiacumq; solatia, non adjutoria mortuorum, quæ Augustini vox est: ut pia condolentis animi signa demus, agite cives Academiæ præstantis. ad hodierni diei horam XII frequentes conveniamus, & filiolo DN. SEBASTIANI GERSTMANNI exequias eamus. *Quemadmodum enim ii, dicebat Philiscus, qui alios in oneribus bajulandis adjuvant, eos levant: ita nos luctuosissimis parentibus calamitatem reddemus leviolem, idq; tanto minori dolore, quod ne minimam quidem partem in nos simus recepturi. In gens etiam commodum inde reportabimus, dum inde discemus, sanctas illas animas, à DEO maturè avocari, ut nos etiam ætate provectiores ad colligenda vasa & abitum indies præparemur. Pectus mortale, Seneca ait, nunquam magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, & scit in hoc natum hominem, ut vita defungeretur.* B. V. P. P. X. Kal. Octobrium.

P. F.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021




5b-700

V017

MC







22.
23

CTOR
VIADRINÆ
ACUS

SIANUS,
& Prof. P.

ias funeris,
uas
x præclaræ spei
erulo

DEBASTIANO

Quintileis nato
Stobres denato,
tis. & Doctis.
N.

TIANUS

MANNUS,
carius sollertis.
parat,
literaria Reip.cives
ter invitat.

C. XXII.

teris
ANNIANIS.